

etenim omnibus Botanicæ studiosis cognitum & accurate
descriptum dedi Phaseolum istum; cujus usus insignis est,
& experientia comprobatus apud Sinenses, contra calculi
adfectiones. Decoctum ex eo componunt, & ægrotanti
optimo cum successu propinant; nec dosim determinant,
nam quantumlibet hauseris, nil noxæ exinde proveniet.
Nos autem, experimento meo edocti novimus, phaseo-
lum huncce, nostro sub cælo, calidissimum hypocaustum
hortense, quo maturescat, exigere.



XI.

10642

Iris insolens & singularior

per ANDREAM CELSIUM observata.

Dies erat 28. mensis Julii proxime elapsi, quum in
Monasterio *Dalarne*, Dioceseos *Husbyane* degens,
intra horam 6. & 7. vespertinam, iridem triplicem obser-
vassem. Prima erat iris, ut solet esse, *A B C Tab. VIII.*
Fig. 3. coloribus fortissimis & viridis conspicua, secunda
D E F primæ concentrica videbatur, sed, ut secundariæ
omnes, colores debiliores & inverfo ordine ostendebat,
rubro nempe arcu inferius in *O* posito. Tertia tandem
A K G L C æquali elevatione secundam superare videba-
tur, qua primam secunda; sed non parallela erat arcubus
duobus, iridemque secundam in *K* & *L* secundo antierius
curvabatur, & cum prima in horizonte ad *A* & *O* coin-
cidebat. Debiles habebat colores, instar secundæ, *DEF*,
sed eodem ordine dispositos, quo primæ *A B C*, nempe
rubrum supremum. In punctis intersectionis *K* & *L* co-
lores prorsus confluentes, & debiles adparebant. Totum
phænomenon horæ unius quadrante perduravit, & solis
altitudinem dimetiendo circiter $11\frac{1}{2}$ grad. reperi.

Causa phænomeni tam singularis statim innotuit. Nam
Occidentem respiciens, quem tunc sol occupaverat, vidi
lacum exiguum, *Hin* dictum, qui ob silentium ventorum,
speculi instar, repercussione iridem tertiam, tamquam sub

P 3 angu-

*Analect. transalpina I.**Tenetils 1762.**AB Fed. Optik*

230 ANALECTA TRANSALPINA.
 angulo $11\frac{1}{2}$ gr. infra horizontem, representabat. Posita
 igitur solis altitudine 11. Gr. 30. Min., limbus infimus iri-
 dis primariæ PM fuit 28. Gr. 32. Min., supremus BM
 30. Gr. 47. Min. Limbus infimus secundæ OM erit 39. Gr.
 12. Min., supremus EM 42. Gr. 52. Min., & si centrum
 tertiæ H fuerit $11\frac{1}{2}$ Gr. super horizonte, centrum primæ
 I totidem Gr. sub horizonte: ex quo sequitur altitudinem
 iridis hujus insolitæ GM in limbo supremo fuisse 53. Gr.
 47. Min., in infimo autem NM 51. Gr. 32. Min., hinc
 distantiam iridis secundæ & tertiæ NE 8. Gr. 40. Min.
 fere æqualem fuisse OB 8. Gr. 25. Min. quæ erat distan-
 tia inter primariam & secundariam.

XII.

Longitudo Burbonia, alias Apollonia, insula,
 determinata per ANDREAM CELSIUM.

Burbonia, insula, ita dicta a Gallis, quorum in ditio-
 ne hodie est, Apollonia alias a Belgis, & Mascarenhas olim a Lusitanis, dum in potestate horum esset, in Mari Indico, juxta Africam, ex Orientali parte Madagascari sita, haud multum spatiosa, sed fertilissima, & ob aerem saluberrimum celebris est; ibi enim ex morbo convalescentes relinquere solent hi, qui Indiam pergunt.

Hac in insula die 6. Augusti 1740. immersionem primi Jovis satellitis in umbram Jovis, hora 4., 38. Min. matut. observatam fuisse habui ex relatione *Monnierii*, Parisiensis. Eadem hora nubibus obrectum fuit cœlum Parisiense, ego autem eandem immersionem Upsaliæ, hora 2. 7. Min. 48. Sec. post mediam noctem observavi. Quum itaque differentia temporis in Upsalia & in Burbonia, insula, sit 2. hor. 30. Min. 12. Sec.; insula illa erit 37. Grad. 33. Min. magis Occidentalis, quam Meridianus Upsaliensis.

Specula Astronomica Parisiensis, ex observationibus postea ad me transmissis, $61\frac{1}{2}$ Min. temporis, seu 15. Gr.